HENRICI OCTAVI REGIS ANGLIAE ET FRANCIAE, FIdei defensoris, Supremiq;, post Christum Anglicæ Ecclesiæ capitis, Ad Carolum Cæsarem Augustum, cæterosq; orbis Christiani Monarchas, populumq; Christianum, Epistola, qua Rex facile causas ostendit, & cur is Vincentiam, ad Concilium falso nomine generale appellatum, non sit uenturus, & quàm periculosum sit alijs, qui ueram Christi doctrinam profitentur, eo sese conferre.

¶ Additus est et libellus ille, quem superioti Anno, Rex sereniß. vniuersiq; Bry-tanniæ proceres, de Mantuanensi Concilio ædiderunt.

¶ Fruere lector, & ueritati iam postliminio redeunti, obuiam procedito, præsentem amplectere, amplexamq; exosculare.

BRITISH MUSEUM

HENRICVS OCTAVVS DEI gratia, Rex Angliæ & Franciæ, &c. Cæsari, Regibus, populoq; Christiano, Salutem et Concordiam.

VM NON ita pridem Libellus nostro & omniũ subditorum nostrorũ nomine scriptus in lucem prodierit, qui & abunde multas causas contineret, quamobrem Concilium illud repudiauerimus, quod pontifex Romanus abusus prætextu surreptitiæ cuiusdam authoritatis, nec à deo concessæ, nec diutius à principibus ferendæ, primo Mantuæ futurum simulauit, mox, nullo ubi

agretur constituto loco, in Calendas Nouembres distulit, et planè doceret nihil eorum, causam nostram grauare posse, quæ uel in eo hominum in eandem sententiam, aut sectam potius iuratorum consessu, uel in quouis alio per Romani pontificis subditiam illam authoritatē conuocato Concilio statuerentur, visum nobis necesse nō est, toties nouum protestandi recusandique Concilii laborem subire, quotics Episcopus Romanus, & ii, quorum ingeniis ille ad fraudes sæpe abuti solet, singulari consilio, nouam aliquam illudendi nobis rationem excogitent. Et tamen cum quædam hoc tempore, vel ex loci mutati occa-

sione,

sione, uel ex alia aliunde causa, nobis in mentem ueniant, quæ cognita orbi prodesse possunt, videmur nobis rem facere non alienam, ab eo amore, quem fidei, & religioni Christianæ debemus, si hac nostra Epistola ceu auctario quodam priorem sententiam cõfirmemus. Confirmatam quidem illam volumus, perpetuo interim protestantes, neque cum libellum, à nobis hoc animo æditum, neque hanc præfatiunculam illi ideo præfixam, quòd quisquàm Christianorum principum sit, vel qui impensius quàm nos exoptet, publica Christianorum comitia, vel qui libentius ad ea quàm nos, adfuturus sit. Imò nos uehemen-

ter etiam atque etiam principes omnes Christianos, potentatus omnes, atque adeo vniuersos populi Christiani ordines, rogatos uolumus, ut sibi persuadeant, nihil æque expetere nos, ac vt tandem nobis detur concilium, quod generale, liberum, ac pium dici possit, quale nos, in illâ nostra de Mantuanensi Concilio protestatione, utcunque adumbrauimus. Certè ut nihil maiores nostri sanctius inuenerunt publicis istis Christianorum inter se consultationibus, præsertim adhibitis ad eum, quem par est & modum & finem, ita uix quicquàm est, quod reipubli. Christianæ, fidei, religioni maius periculum creet,

maiorem cladem adferat, quàm generalia Concilia, si quis illis ad questum, ad commoda, ad errores abutatur. Generalia appellantur, ac uel ipso nomine satis nos admonent, omnes in uniuersum Christianos, qui de dogmate aliquo inter se dissentiunt, hic apertè, liberè, impunè, sententiam suam proferre posse. Nimirum, cum quæ in generali Concilio decernuntur, ex æquo ad omnes, quorum consensu fiunt, pertineant, ac spectent, par est, ut quisque, quæ sentiat, intrepidè pronuntiet. Dubio procul nos non putamus id Concilium generale dici debere, ubi solum audiuntur ii, qui perpetuò decreuerint, per o-

mnia pontificis partes foucre, ac in huius caſtris uel contra ſacras literas ſigna ferre. Generale Concilium nec eſt, nec dici poteſt, vbi idem & ſolum aduocati & aduerſarii, idem & rei & iudices ſunt. Imo contra ius naturæ eſt, uel ut nos patiamur in noſmet legem tam iniquam ſanciri, uel vt præſidiis omnibus nos deſtitui ſinamus, nullumque perfugium, ad quod grauiſsimis iniuriis affecti, curramus, nobis relictum eſſe, uelimus. Pontifex & ſui, nobis valde inimici ſunt, libenter & nos & regnum noſtrum perditum uellent, id quod multis argumentis & nobis & ipſi adeo orbi declararunt, & nos non naturę iudicium uiola-

mus, si istis de nobis iudicandi potestatem faciamus? Honos illius, superstitione, vi, & dolo malo quæsitus, potestas illius, per religionis prætextum, contra religionem & sacras literas erecta, primatus illius, per orbis ignorantiam, per pontificum ambitionem, & non intellecta sacræ scripturæ loca, constitutus, quæ omnia discussis errorum nebulis, non solum apud nos cecidere, uerum etiam apud omnes breui casura uidebantur, nonne restituentur omnia, non redibit honos, non faceſſet regibus negotium potestas, limitum nescia, non sibi omnia uendicabit primatus, si ille iudex causam uel optimam nobis suo arbitratu

cri-

eripere posſit & debeat? næ ille quidem uel talpa cæcior eſt, qui non apertè uideat, quem litis noſtræ finem ſperare nos neceſſe ſit, ſi hoſtis tantus ſententiam de nobis ferat. Imò ſi quando fieri poteſt, Concilium uolumus, ubi aliqua ſpes ſit, ea reſtitutum iri, quę iam diu deprauata, religionis chriſtianę penè interitum minantur. Atqui, ut huiuſmodi Concilium omnibus uotis expetimus, omnibus omnium precibus a deo Opt. Max. ambiendum putamus, ita rurſus noſtri officii arbitramur eſſe, diligenter cauere, & ne cuiquàm ſubditorum noſtrorum hæ Pontificum artes fraudi ſint, & cęteros quoque principes Chriſtianos

nos etiam atque etiam admonere, ne Pontifex regum authoritate ad extirpandas crescentis Euangelii radices, ad principum turbanda iura, ad regum imminuendam authoritatem, maiestatemque lædendam abuti possit. Nos non dubitamus, quin lector non iniquus, facilè sit ea probaturus, quę in sequenti hoc libello, a nobis scribuntur, non tam purgandi nostri causa, quàm ut hinc orbis intelligat, & uarias papistarum fraudes, & quantopere nos religionis controuersias tandem aliquando sublatas esse cupimus. Quę de Mantua illic dicta sunt, de Vincentia haud dubiè dici possunt. Conueniunt penè omnia.

Neque

Neque credibile eſt, plures Vincentiæ futuros, qui de fidei negotiis conſultent, quàm Mantuę ſuperiori anno fuerint. Meritò ſanè deluditur, qui bis deceptus, bis perfidia falſus, tertio ſe deludendum tradit. Si qui antea Mantuam properabant, medioque itinere peracto, fruſtra ſe in viam dediſſe poſtea intellexerint, non exiſtimamus tam eſſe ſtultos eos, ut ſemel fruſtra ſuſcepto tanto itinere, rurſus deridendi peregre proficiſcantur. Tempus quoque & rerum ſtatus, eiuſmodi eſt, ut religionis negotium uerius nunc uexari, quàm commodè tractari poſsit. Nimirum cum orbis penè uniuerſus ſic bellorum tumultibus

bus æstuet, sic turcicis apparatibus molestetur, poterit ne quisquàm tam religioni inimicus esse, ut hoc tempus Conciliis commodè celebrandis idoneum putet? Certè nostras cum Episcop. Romano, controuersias, multò multòque grauiores uideri par est, quàm ut uel hoc turbulentissimo tempore excuti debeant, uel ut procuratoribus, etiam si tempus pacatissimum esset, sine magno nostro periculo committi possint. Quid alii principes facturi sint; non satis scimus, uerum nos neque regnum nostrum hoc tempore deseremus, neque causam nostram, in qua totius regni nostri salus uertitur, cuiquàm, præterquàm nobis ipsis,

ipsis, credemus. Imò nisi alius æquior iudex detur, commodiorq; tractandi causam nostram locus, etiam si cætera adsint omnia, de quibus nunc conquerimur, nos ad huiusmodi Concilium, nunquàm accedemus. Nunquam litis nostræ arbitrum cum constituemus, qui causa non dum audita, contra nos non multis abhinc annis sententiam tulit. Volumus, dogmata quæ profitemur, rite examinari, excuti, ac ad sacras literas, velut ad lydium lapidem adduci. Inconcussa antiquari, incognita opprimi, uera conculcari, non sinemus, non patiemur, non feremus. Quin, ut nullum iota CHRISTI doctrinæ non modis

dis omnibus, uel cum uitæ & regni noſtri periculo tutemur & defendamus, ita nihil eſt, quod hanc doctrinam oppugnet, obſcuretue, quin cum eo nos perpetuum bellum geramus. Veteres omnes omnium paparum traditiones, quę uel illius tyrannidem adiuuant, uel ſuperbię criſtas attollunt, ut apud nos in ęternum abrogatas eſſe uoluimus, ita, ſi CHRISTI Opt. Max. gratia nos nō deſtituat, perpetuo, nè nouę noſtro conſenſu conſtituãtur, quę nos uel regnum noſtrum ligent, etiam atque etiam cauebimus. Quod ſi qui ſunt, quos ſua cęcitas nimium nō delectet, nihil dubium eſt, quin iſtos ratio, etiam ſi Chriſti gratia

eorum pectora non dum intrarit, facile doceat, quam non æstimanda sit huius authoritas, vtpotè quam illustri quodam exemplo Federicus Dux Mantuæ, iure optimo locum Concilio designatum pontifici pernegans, tantum non labefactauit. Nam si ex animo cogitauit Pontifex, Mantuæ Concilium celebrare, ac de iure diuino ius habet vocandi principes quo uolet, cur quoque ius non habeat, quem uelit locum deligere? Mantuam delegit Pontifex, Dux ab hac eum arcet. Si Paulus tantam habet authoritatem, quantam sibi vendicat, cur Federicum cogere non potuit, ut apud se concilium agi pateretur? Dux non pas-

sus est, imò cum prohibuerit, quid est, quod hic cessent dirarum fulmina? Cur hunc non coercuit? Cur plenitudo potestatis hic uacua est? An non frustra uocat, si cum uocati uenerint, ab eo loco excludantur, ad quem is uocarit? An non poterunt reges videri sibi iure optimo non uenire debere, si Dux Mantuę iure locum negare potest, quem pontifex delegerit? Si cęteri principes ad hunc modum eum tractent, quis tandem locus concilio relinquetur? Rursus, si hanc uocandi potestatem principes illi largiuntur, an non ea omnia concedant illi necesse est, sine quibus ius illud suum exer-

cere non poteſt? An uocabit, nec locum, quo uocet, reperire eum ſinetis? Certè non ſolet ciuitatem aliquam ſuam, concilii celebrandi ſedem conſtituere. Homo pius tam eſt in cęteros fidus & amicus, ut principes domi ſuæ hoſpitio excipere, non ita frequenter confugiat. Et ut ad ciuitatem aliquam ditioni ſuæ ſubiectam nos uocet, nos ne tutò intra tanti hoſtis mœnia uerſabimur? Illic ne excutiendæ religioni, an propulſandis inſidiis, dogmatibus ne defendendis, an ſeruandę uitæ operam dare nos præſtiterit? Ergo uel hoc uno facto pontifex declarat, in loca alieno imperio ſubiecta, nihil ſibi iuris eſſe,

esse, & proinde si deinceps in his concilium promittit, id pollicetur, quod in aliena fide situm est præstare, & ita nos rursus fallere potest. Sin ad se uocet, hospitis mensam metuimus, esurire melius, quàm hinc saturos discedere. At, qui repertus est, inquiunt, locus, anxiè posthac alium ne quærite. Quasi quod Mantuæ accidebat, Vincentiæ quoque accidere non possit, quasique credibile sit Venetos, tanta prudentia uiros, non id uidere, non id metuere, quod prudentissimus Dux Mantuæ metuisse uidetur. Certè cum cogitamus, quo in loco res Venetorum hodie sint, nobis uix fit uerisimile,

eos

eos uel Vincentiam ſuam tot exteris nationibus, ſine magno illic relicto præſidio credituros, uel in tantis ſumptibus, præſidium ibi alere uelle. Et vt alant, an non Paulus ipſe fatetur, rem mali exempli eſſe; armatum Concilium habere? Vt ut erit, uos etiam atque etiam rogatos uolumus, ne grauemini ea legere, quę ſuperiori anno de Mantuanenſi Synodo ſcripſimus. Nihil enim dubitamus, quin pro ueſtra æquitate facile à nobis contra horum inſidias ſtabitis, iudicaturi, niſi fallimur, nos in hoc negotio, neque nimium affectibus indulſiſſe, neq; ſine grauiſsimis ac iuſtiſsimis cauſis horum concilia,

cenſuras,

censuras, decreta recusasse. Omnibus ut hęc nostra probemus, ne laborandum quidem nobis duximus. Si, quæ non inique a nobis scribuntur, æquis lectoribus placeant, satis est. Iniquorum hominum calumniæ nos, uel nihil, uel non ita multum commouebunt. Quod si quid in pontificis fraudes acerbius a nobis dictũ est, uitiorum odio, non nostrę in eum maleuolentię imputate. Imò ut ille & sui intelligant nos cum eorũ uitiis, non cum illis bellum gerere: precamur, & vt deus aliquando eorum oculos aperiat, cordis duritiem emolliat, & ut tandem illi nobiscum ęternam ęterni dei gloriam,

riam, posthabita sua, illustrare studeant. Vale Cæsar Auguste. Valete Monarchæ Christiani orbis Columnæ, & tu populc, quisquis es, qui Christi Euangelium illustratum cupis. Vale.

Datum Londini, ex Palatio nostro, apud VVestmonasterium, sexto Idus Apriles, Anno Regni nostri,

XXIX

22. 9. 49

LONDINI IN AEDIBVS
THOMAE BERTHE-
LETI REGII IM-
PRES-
SORIS. EXCVS.

ANNO. M. D. XXXVIII.

CVM PRIVILEGIO.

ILLVSTRIS.
AC POTENTISS.
Regis, Senatus, populiq; Anglię, sententia, & de eo concilio, quod Paulus Episc. Ro. Mantuæ futurum simulauit, & de ea bulla, quæ ad Calendas Nouembres id prorogarit.

DE GENERALI CONCILIO.

CVM ORBI PENE testatissimum sit, nos iam pridem prorsus in hanc unã rem incumbere, vt & vetus honos,& pristina dignitas, sacris literis restituta,tandem aliquando sit, existimamus, nostras partes esse, non tã nullam restaurandæ religionis, occasionẽ omittere, q̃ omnibus Romanorũ pontificum machinis, qui nunquã desinunt, ueritatem turbare,obuiã ire. Huc nos cum ueritatis studiũ, tum iam pridem à nobis susceptũ religionis patrociniũ uocat. Certè cum Paulus Episc. Roman. maximis propositis prẹmiis,undiq; homines doctos,ad ueritatem oppu-

gnandam conducat, neminem nō in collegium Cardinalium cooptans, à quo aliquam impoſturarū defenſionem ſperare poſsit, iam pridem nos non potuimus nō anxio animo eſſe, non ſępe cogitare, quid tantus rerum & ingeniorum apparatus ſibi uellet. Quod res eſt diuinabamus. Nimirū iam diu ad pontificum fraudes & ſtratagemata aſſuefacti, facile augurabamur, hominum in uerba & uoluntatem Pont. Rom. iuratorum, Concilium, quod illi falſo generale appellant, etiam tum futurum, cum nondum ulla Concilii mentio eſſet.

Quid multis? Tandem, rebus recte ad fraudem conſtitutis, Concilium, ad quod uel neminem, uel

q̃ paucissimos ex Christianorum monarchis, accedere posse, Paulus pontifex certo nouerat, indicitur. Videlicet & tempus, quo celebrandum erat, & locus, quo futurum statuerat, poterant illi certo promittere, regem nullum adfuturum. Bulla quo nō uadit? quem regum non accersit, audax regum minister, & ad fraudū causam suscipiendam, & ad pronouendam indicti concilii simulationem? Nā quis est, qui non existimet Paulum & suos, simulate potius, q̃ ex animo moliri generale Concilium? Quis enim est, qui minus desideret publica hominum Christianorum comitia, q̃ ii, quibus plane de causa sua desperandum est, nisi ip-

si iudices, de suorum aduersariorũ lite pronuntient? Certe nos, qui non nisi ægre à regni & reipu. nostræ procuratione auocamur, possumus ad hoc Concilium, nec uenire ipsi, nec procuratorem quenq̃ nostra causa eò mandare, neq; culpæ uel leuem aliquam suspitionẽ metuere. Quis enim nos accuset, q̃ illo uocante, non ueniamus, qui nullum ius uocandi nos habet? & ut demus, ius illi esse, ut largiamur, quod nemo nisi sacrarum literarum imperitus, illi dat, quid attinet, ad id Concilium accessisse, in quo nisi vera oppugnes, falsa confirmes, nullus tibi locus sit? Vident omnes, qua integritate, fide, religione, isti res controuersas, explicaturi

caturi sint, qui hoc turbulentissimo tempore, se de his disceptaturos polliceantur. Cum Mantuam ad hoc Concilium celebrandum delegerint, nonne palam est, q̃ nihil fructus, ex hoc conflessu respu, Christiana sperare debeat? An est quisquàm Christianorum principum, extra Italiam, quisquàm etiam Italus, qui cũ dissentiat, ab Episc. Roman. ausit istuc accedere? Cum accedat nemo, qui oppresse ueritati audeat uocem commodare, hoc est uitam dedisse, mirum ne est, si papa iudice, nemine repugnante, ne reclamante quidẽ, papatus patroni, hoc impetrent, ut papæ authoritas, iam pridem labefactata, ac propè collapsa quo-

que, nunc isto Concilio restituatur? Hoccine est, rebus afflictis, turbatis religionibus, cõcussæ ueritati opem ferre? Tun Paule põtifex, uel tuorum quisquàm, unq̃ aliquando uel per somnium cogitet, (si ad istum modum solis sine ullo aduersario de rebus controuersis uobis pronunciare liceat) ecclesiæ ecclesiasticorumue morbos, qui irrepserunt in ecclesiam, non aliunde potius, quàm ex huiusmodi Cõciliis, sanare? Est profecto admodũ uerisimile uos, qui nihil aliud q̃ quæstum queritis, libenter ea antiquaturos, quæ inuito Christo, inuitis sacris literis, hęc aliquot sæcula uestri lucri causa, per uestros maiores constituta sunt?

Imo

Imo cũ illi, quoties ſtatus ſui quæ-
ſtio, honos, poteſtas, primatus, in
iudicium adducebantur, perpetuo
proculcatis Dei legibus, per ſce-
lus, dignitati ſuæ, uel ut uerius lo-
quamur, intollerabili ſuperbię cõ-
ſultum uellent, an non certum pe-
nè eſſe poteſt, uos nequaquàm fi-
lios degeneres, patrum ueſtrorum
ueſtigia ſequuturos, nouosq; ca-
nones, qui maiorum decreta tutẽ-
tur, ſtatuturos eſſe? Sed quid no-
ſtra refert, uel quid illi olim de-
creuerint, uel quid deinceps uos
ſtatuatis, cum Anglia, iam pridem
ueſtris fraudibus ęternum uale di-
xerit? Nihil Romano põtifici ne-
gotii, cum Anglis, nihil commer-
tii. Certè ut nobis negotium fa-
ceſſat,

ceſſat, merces ſuas poſthac nemini noſtrum obtruſerit. Ea uero quæ ille figit uel refigit, nihil ad nos pertinere uolumus, certe quidem non magis, quàm quæ quiuis alius Epiſcopus ſtatuit. VERVM ne uideamur orthodoxis hominibus, animi libidine abuti, potius q̃ iuditio duci, hic orbi teſtatum uolumus, nos ſinceram fidem, & doctrinam chriſtianam, & ea omnia, quæ has uel iuuent, uel ornẽt, amplexari, profiteri, perpetuoq; profeſſuros, omnia fidei dogmata, ita nobis curæ eſſe, ut de regno noſtro libentius periclitemur, q̃ vllum fidei dogma apud nos periclietur. Teſtamur à Catholicę fidei unitate, neque diſceſsiſſe nos, neque

neque unquã diſceſſuros. Imo uitam depoſituros potius eſſe nos, q̃ ullus huius fidei articulus apud Anglos concidat. Teſtamur nos, qui in hac tota cauſa nihil aliud q̃ CHRISTI gloriam, & orbis cum utilitatem, tum tranquillitatẽ ſpectamus, impoſtores diutius ferre non poſſe, imo uel honeſtiſſimis rationibus nos adductos, repudiaſſe pontificium Romanorũ authoritatem, ſententias, decreta, Concilia. Teſtamur denique nos, neque antehac unquàm ad publica Chriſtianorum comitia uenire recuſaſſe, neq; nunc non omnem operam noſtram, ſtudium, fidem, polliceri, quo, & religio turbata aliquãdo ſuo loco conſiſtere poſ-

sit, & cęteræ controuersiæ, quę orbem iam diu uexant, tandem finiantur. Tantum Christianos omnes admonitos etiam atque etiam uolumus, nos diutius pati nõ posse, ut ii putẽtur errores tollere uelle, qui modis omnibus, hoc agũt, ne quisquàm citra capitis periculũ, eos conuellere possit. Concilium uolumus, expetimus, atque adeo efflagitamus, sed quale inter christianos celebrari par est, hoc est liberum, quo quisq; intrepide, quæ uera sunt, dicat. Pium uolumus, ubi omnes, omnem operam suam Christianæ pietati restituendæ, nõ opprimendæ ueritati nauent. Generale uolumus, hoc est, eo tempore & loco, celebrandum, quo,

sine

sine suo periculo, quisq; qui gloriam CHRISTI quærit, adesse, libereque sententiam suam dicere possit. Tum enim Concilium generale uideri potest, uel cum nemo Christianorum, qui dissentiat, ab Episcopo Romano, abesse cogitur, uel cum qui adsunt, nullo proposito terrore, impediantur, quo minus quę uere sentiunt, audacter pronuncient. Nam quis est pręter pontificem Romanũ, Cardinales, & Episcopos aliquot papisticos, qui non ad eiusmodi cõcilium lubentissimo animo ueniret? Rursus, quis tam stultus esse potest, ut, cum uideat Pontificis Romani causam penè solam agi, pontificem Romanũ in hoc con-

cilio

cilio regnare, dominari, præsidere uelit? Imo, si iste, qui causam suã, nullo modo apud alium q̃ se iudicem defendere potest, perpetuo iudex, litem non tam dirimat, q̃ impios errores constituat, quid magis in republica Christiana ueritati pernitiosum excogites, q̃ generalia Concilia? Atqui ut de istorum audacia, aliquid dicam, quo iure, quo ue titulo ad Concilium, à pontifice Romano uocentur reges? An cum olim Concilia omnia, imperatorum, regum, & principum authoritate, consensu, & mandato, fieri consueuerunt, non par est, uel ut hodie fiant, uel ut cur non fiant, causam adferatis? Verisimilius est, inquiunt, pontifices,

fices, religionis curam ſuſceptu-
ros, q̃ reges. Expertus eſt orbis,
magna cum pietatis clade, quanta
fide hoc negotium iſti tractent.
An non nunc uidemus omnes, q̃
probe, Paulus pontifex, conſtitu-
endę tyrannidis ſuæ occaſionẽ ca-
prant? non uidemus, quod tempus
homo religioſus, ad generale cõ-
cilium delegerit? An non ueriſi-
mile eſt, hunc ex animo cogitare
de reſtitutione religionis, qui nũc
Concilium indicit, cum Cæſar &
rex Galliæ, duo potentiſsimi prin-
cipes, ſic acribus ſtudiis inter ſe
bellum gerant, ut neq; illis, neque
cuiquàm Chriſtianorum regi, ul-
lus conſilii locus relictus uideatur?
Age uero, age, Romane pontifex,

occaſio,

occasio, quam tot annos, tu & tui omnes tam ardentibus uotis optastis, contigit, præsentem preme, porrectam ad scelus & fraudes ansam arripe. Conuoca Cardinales, creaturas plane tuas, ostende illudendi principibus & populo christiano, occasionem mire in tempore sese obtulisse. O homines, quod ægre dicimus, plane stultos, & quod libenter dicimus, prorsus improbos. Diu apud principes populumq; Christianum, hac suspitione laborastis, uos quiduis uelle potius, qui probe simulatis ac dissimulatis omnia, q̃ generale Concilium. An tam stultos esse uos, par est, ut nunc aperte omnibus ostendatis, nihil moliri uos

aliud

aliud, quàm ut priuatis his uestris conciliabulis, legitimi, catholici, generalisque Concilii, spem omnem orbi præcidatis? Tantum ne odium cum ueritate geritis, ut nō nisi illa planè in æternum exilium electa cessetis. Viuit Deus, nec illo uiuo, ad tantum dedecus, contumeliam, iniuriam, ueritas uocari potest. Fallimur, ad hæc omnia uocari potest, uenire non potest. Quis nō uehementer doleat, homines tanta audacia esse, ut aperte hostilem animum in Christū gerant? Rursus, quis non afficiatur summa lætitia, parem, cum impietate, stultitiam coniunctam esse? Orbis ò Paule pontifex, non nūc in tenui quadam suspitione uersa-

tur, ut olim, imo positas ante oculos, fraudes uestras cernit, immortale illud uestrum in ueritatem, odium detestatur. Vident omnes, quantas tragœdias ille uester concordiæ, unitatisq; pretextus, in orbem Christianum inuexerit. Intelligunt uestrum faciendæ pacis studium, contra reipub. tranquillitatem, à seditione diu stetisse. Cernunt uos nunquam acrius religionem oppugnare, q̃ tum, cum eã maxime defendere uideri uultis. Dolent summas ingeniorum uires, fraudum patrocinia tam diu sustinuisse. Dolent rationem, uim omnem suam ad scelus, superbiam, impietatemque promouendã conuertisse. Dolent uirtutes etiam aliquot,

aliquot, operam ſuam uitiis locaſſe, ſanctimoniã hypocriſi, prudentiam calliditati, iuſtitiam tyrannidi. Gaudent ſacras literas nunc tandem pro ſe, non contra ſe, pugnare. Gaudent Deum non nunc deo negotium faceſſere, Chriſtũ non nunc oppugnare Chriſtum. Gaudent non tam olim calliditatem ueritati uim feciſſe, quam nũc factum eſſe, ne poſthac plus agat contra religionem audacia, q̃ pro ueritate conſtantia poſsit. Vident olim, omnium penè ueſtrorum Conciliorũ finẽ fuiſſe, LVCRVM, uident ueſtra commoda, uel cum ueritatis interitu uos ambiiſſe, uos maluiſſe Euãgelicis præceptis fraudem facere, quam ueſtram autho-

 ritatem,

ritatem, hoc est, audacem impudentiam labefactatam cernere. Certè Paulus pontifex, uix hodie aliud agere uideri potest, qui principibus tot, tantisque rerũ tumultibus occupatis, ac penè obrutis etiam, Concilium generale, si diis placet, indicit, quàm ut posthac titulum aliquem habeat, quem suæ improbitati prætexat, si tum is ad Concilium uenire recuset, cum tempus & locus, commodior, de religionis negotiis consultãdi, sese obtulerint. Licere sibi putabit, par pari referre. Putabit phas tum non uenire, quod reges hodie nõ ueniant. Superi uelint, ne perpetuo mutuis conuitiis nos inter nos rixemur, ne ue cum maxime dis-

sentia-

ſentiamus, iactemus utrique, nos meliorem partem defendere. Velint, ut ueritas firma tandē, & conſtituta, nepharios impoſtorum conatus frangat. Velint, ut orbi chriſtiano reddita pax, & tranquillitas, diſceptandi tempus & ſpacium de religione Chriſtiana, aliquando dent. Niſi enim reges inter ſe cōueniant, depoſitoque bello, pacis ārtes amplectantur, non uidemus, quid aliud ſit, concilium indicere, etiam ſi concilium maxime expetis, q̄ oleum & operam perdere. Imo uero, cum illi bello & armis occupati, nihil aliud quam bellum cogitent, pontifex non omnia in rem ſuam conuerſurus uideatur, non confirmaturus errores, ſi iſtis

absentibus Concilium suffuretur? Nimirum cum illis non uacet adesse, qui alioqui adfuturi erant, & nobis, de iure nostro, tantum pōtifici cedere non lubet, non ille & in rem suam & in errorum defensionem, pulchre omnia statueret? Quo modo quisquàm nostratiū, Mantuam tot periculis adeundā, tam procul à nobis disitam, tot tuis ō Paule parentibus, cognatis, amicis, quos uel eadem patria, uel naturæ fœdera, uel lucri spes, uel alia quæuis causa tibi pararit, undique circumseptam, non recuset adire, qui prorsus amens non sit? An non perire dignus est, qui uiuus uidens q; in flammas se coniicit? cum is de uita periclitetur, qui

Cre-

Cremonam, Mantuæ uicinã urbem, hac tempestate adierit, hostis tuus, hoc est, ut uulgus hæreticorum hominũ interpretatur hæreticus, an nostratium quisquàm tuto uel intra Mantuę muros uersabitur? Quid quod Mantua, si iustus celebrandi Concilii numerus eò accedat, uix tot hospitibus excipiendis satis ampla est? Quid quod iter omne, quo hinc Mantuam usque, nostris eundũ sit, plenum periculis est? An nescitis hãc legum omnium uocem & sententiam esse, cõgi neminem per loca, nusquàm tuta, ad Concilium uenire? Quid quod hactenus nullã eundi & redeũdi liberam facultatem, nullam securitatẽ ab iis, quo-

rum ſubditione, ea loca ſunt, nobis impetraueritis? quid quod, ſi hanc etiam impetraſſetis, temerariorum notam ſubeamus nos, qui cum iuſto alioqui timore deterreri, & potuimus, & debuimus, tam periculoſo itineri noſmet commiſerimus? Nam nę ille profecto, qui rebus ſic ſe habentibus, ut nūc ſe habent, ex Anglia ad Mantuā proficiſcitur, ſecurus eſſe poteſt, ſi mentis illi nihil ſit, certe tutus eſſe nō poteſt. Nam cui ignotum eſt, quoties Romani pontifices, in huiuſmodi negotiis fidē fefellerint? Quoties per pontificum fraudes, perfidiam, & ſcelus interierunt hi, qui data fide neque in itinere neq; interea Concilii, neq; dum redirent,

rent, quicq̃ periculi illis creatum iri ad Concilium uenerint? Nouũ non est, papas perfidos esse, promissis non stare, contra iusiurandũ bonorum uirorum sanguine cruentas manus fœdare? Sed nimium diu in istis moramur, quę nobis, cum cæteris nationibus communia sunt, ista diutius non persequemur, ad ea orationem conuersuri, quæ priuatim & seorsim cum Anglorum regem, tum omnes Anglos commouere debent.

EST ne quisquàm hominum, qui nesciat, Paulum pontificem, animo plane hostili in regem esse? Illum modis omnibus, omnes insidias struere saluti cũ regis, qui tyrannum eiiecerit, tum Episcoporum

rum ac nobilitatis plane interitum moliri, quod ſummis iſto um ſtudiis eiectus ſit? Quis non uidet hominem adeo iam flagrare odio, ut diutius uel irę impetum cohibere, uel inſidias tegere non poſsit? Apertus eſt hoſtis, non diſſimulat, neminem non prouocans in regis caput, in regni cladem neminem non armans. Iam totum trienniu nihil aliud quàm populum Brytannicum, nunc pecuniis, nunc ultro delatis honoribus, ad ſeditionem concitat. Nihil dicemus, quanto ſtudio, quanto cum ſcelere, principes Chriſtianos contra nos excitare conatus ſit. Haud dubie, homo CHRISTI uicarius, uita oſtendit, quo modo, quæ

Chri-

Christus dixerit, intelligat. Vicarium se putat, cum sibi liceat illud Christi dicere. Non ueni pacē mittere in terram, sed gladium. gladium inquam, non illum, quo Christus suos armatos uoluit, sed quo immanes homicidę, in proximorum sanguinem, cædem, strages abutuntur. Non ualde miramur, si sæpe in alios sæuiant, cum nobis, quorum beneficia, nec pauca, nec mediocria senserint, pro gratia cōtumeliam, pro benemeritis iniurias rependere student. Non libet hic commemorare, quot nostra officia in Pōtifices Romanos collocata perierint. Valeant ingratissimi homines, indigni planè uel hominum nomine. Certè eiusmodi

modi, ut nescias, deus ne, an homines, eos peius odisse debeant. Nos nisi didicissemus, uel inimicis bene uelle, quid istis tam male imprecemur, quin minus quàm pro eorum in nos maleficiis, imprecati uideamur? tãtum hoc imprecamur, Deus mentem meliorem illis ut det. Nos, gratia sit superis, seditiosos eorum conatus, irritos reddidimus, ita tamen, ut perpetuo nobis ab inimicis cauẽdum arbitremur. Certe q̃diu isti nobiscum simultates gerunt, non committemus, ut grex a nobis desertus, a lupis sanguinariis dilanietur. Imo insidię omnes nunc cum nulli, nisi insidiatoribus obsunt, consumantur. Sæpe indicant, quã

nobis

nobis maleuolunt, q̄ cupiant nos lędere, cognitus hoſtis, non niſi ſtultum et incautum ledit. Manet manet alta mente repoſtum ſpręti Iudicium Clemētis ſeptimi, Pauli tertii. Metuunt, ne ſi nos damno nullo afficiamur, cæteris principibus chriſtianis, exēplo ſimus, vt Romani pontificis iniuſtum alioqui imperium diutius non ferant. Dolent ſuæ tyrannidi, auaritię, ſuperbię, iter omne apud Anglos præcluſum eſſe. Aegre patiuntur, a maioribus noſtris conceſſa priuilegia, hoc eſt liberā prędandi illudendiq; ciuibus noſtris, atque adeo nobis ipſis, creptam licentiam. Iniquum putant æqua à ſe poſtulari, qui legibus nullis ſe

ſubdi-

subditos esse uolunt. Iniuriis affici se credunt, quod illi alios ne afficiant, prohibeantur. Vident interdictas indulgentiarum merces, ingẽtem auri uim hinc sibi periisse. Diplomata nulli iam obtrudi posse. Nimirum Anglia infantiã posuit. Nemo est qui nesciat, stulte facere eos, qui aurum plumbo, etiam si Petri & Pauli facies ad imposturas prostet, commutant. Imo dolent sanctorum uultus horũ audacia ad quęstum cogi. Certè nisi superi nobis irati, mentem adimant, papę nomen etiam apud Anglos breui interciderit, ne dum authoritas nulla illi fuerit. Profecto ius ille suum in nos, ciues nostros, posthac nunq̃ exercebit. Ab illo consilium

silium petere tum uolumus, cum lubet decipi, falli, errare. An, si ex fraudulenter iactis fundamentis, fraudulentam fore totam fabricam coniicere phas sit, ab istis expectes aliud, quàm pietatis Christianæ cruces, carceres, flammas? Veritatis uulnera? cicatrices? interitum? Aliud si quid erit, in hoc Mantuanensi consessu statutum, nobiscum cogitate, pontificum nō mediocrem laudem esse, honestatis specie, ad honestatis pernitiem, subinde abuti. Volunt cum libet, quædam in gratiam concessisse uideri, nusquàm magis metuendi, quàm cum maxime nobis obsequuntur. Falli uolunt, hoc est, patientur quædam sua dogmata explodi,

explodi, abusus aliquot reprehẽdi. Verum cum ista largiuntur, plura & longe grauiora poscunt. Vix fieri potest, ut tibi ab istis, satis caueas. Profecto accedant ad has technarum nundinas, ad has fraudum officinas, qui uolunt, nos ius nostrum incolume uolumus. Nos neque ueniemus ipsi, neq; quemquam nostrum procuratorem illic esse patiemur.

HACTENVS hanc rem ita disputauimus, perinde ac si Mantuæ Concilium futurum esset. Nunc paucis de ea bulla dicemus, quæ nuper concilium ad calendas Nouembres, nullo ubi celebretur designato loco, prorogarit. An non ueri simile est, si nusquam celebre-

tur, si

tur, ſi papa locum nullum, quo uictoriam ſperantes myſtę ſui confluant, reperiat, ſi deniq; conciliū nullum, nullibi ſit, nulla decreta in eo contra religionem Chriſtianam conſtitutum iri? Factum, ita deus bene amet Paulum & ſuos, factum bene. In aliud tempus, cōcilium Mantuanenſe protrahitur. Quam ob rem tandem? cur, cum ii iam in urbe Mātua ſunt, qui tuis bullis parendum cenſent, cur pollicitis Paule nō ſtas. Cur nō cogis cōciliū? Bulla nobis obſtrepit, Audimus, dux Federicus nobis ſuper hoc reſpondēs, nō paruā huic negotio intulit difficultatē, aſſerens militare pręſidiū, & pro eo nutriēdo ſtipendium neceſſariū eſſe. Id

„ quod, inquit, nihil aliud erat, q̃ ci-
„ uitatẽ prædictã manifeste negare.
Quæ contumelia magnanimos heroas unq̃ tetigerit, si ista tam insignis, eorum omniũ animos non commoueat, non acerbet, nõ exulceret? An non aperte irrides, & planè contemnis Cæsarem, reliquosq; orbis monarchas, qui ad eã urbem, maximo cum rerum suarum dispẽdio accessuros, accersis, quam nec ipse tu concilii celebrãdi causa intrare possis? Si ulli unq̃ reges habiti sunt ludibrio, næ tu Paule reges bis ludibrio habes, uel quòd uocas, quo uenire non possis ipse, uel quod cõcilium differs, nec ullum locum designas? An si tibi paruissent, iterq; cum tu primum

mum ad Mantuam, neminem nō uocares, ingressi fuissent, nō probe derisi domum rediissent? Habes nimirum, cur posthac principes accuses, si minus uenerint uocati, quos cum uocas, sic cōtumelioſe derides. Finge omnes, imperium tuum agnoscere, omnes tibi parere debere, an non ucrendum, ne ab obedientiæ officio discedant, si tu tuo imperio in eos sic abutare? Nunc uero cum illi tibi parere nullo modo debeant, tu omni humanæ creaturæ, ne dū regibus tanq̄ præexcellētioribus, obedire iubearis, potes posthac sperare monarchas morigeros, quos tam aperte ludis ac deludis? Quis unq̄ tam temerarius, audax, im-

pudens, ut reges ad concilium uo cet, neq; certum aliquem locum, ubi consultent, illis significauit? Paulus uocat reges ad concilium. quo? nusquàm. Quid est regum maiestati illudere, si hoc illudere non est? At tandem homo memor, quanta iniuria uel contumelia potius, omnes affecerit, dolere se simulat. Magnum profecto illi negotium, dolorem simulare, qui nihil non probe norit simulare. Falsum se fuisse dicit, speraſse se dicit, Ducem Mantuę libẽter passurum, ut Mantuæ concilium fieret, Dux passurum se negat, nisi dato pręsidio. Paulus hinc ueretur, ne aliqui indictioni suę confisi, iter cæperint, metuit ne rectà Mantuã

pro

progreſsi ſint, unde iam excluſi, magno cum ſuo incõmodo domum repetere cogantur. Verum ut omnes intelligant, q̃ nihil papæ metuere poſsint, ait ſe æquiore animo hanc orbi illatam iniuriam ferre, quod aliena, non ſua culpa hic peccatum ſit. Itane uero? Non ſatis eſt tibi abſentes contumelia affeciſſe, niſi tua culpa Federicum Mantuæ Ducem oneres? Quid peccat ille, quòd tantum hominũ numerum, intra ciuitatis ſuæ muros, niſi accepto militum præſidio, ſe recepturum negarit? Tu qui uenerabiles fratres tuos, patriarchas, archiepiſcopos, epiſcopos, & dilectos filios tuos abbates, & cęteros eccleſiarum, & monaſteriorũ

prçlatos fulmine feris, nisi illic sint ubi esse non possunt? An eiaculata fulmina pro tuo arbitrio reuocantur, quoties libet? At pulchre te purgas, omnique crimini facile te eximis, qui dicis, te iudicasse rem incongruam, & mali exempli, armatum concilium celebrare. Nõne bellum hoc, & plane paparium? Si non das prçsidiũ, dux non permittit tibi & tuis Mantuam suam: sin das, præter iuratos tuos eo accedet nemo. His artibus facile declaras, quod omnes iam diu suspicati sunt, te omnino generale concilium nolle. Vis omnes adesse ad calendas Nouembres, nec ubi tũ tu futurus sis, etiãdũ nosti. Quãq; quid attinet, quo nos uoces, cum

paris

paria ſunt,nusq̃ eſſe, & ibi eſſe,ubi concilium fieri nõ poſsit. Locus nullus perinde tibi ſeruit,qui prorſus decreuiſti nullum concilium haberi,ac quiſq; locus. Imo præſtiterit tibi, qui tecum ſtatueris nõ adeſſe,nullum,q̃ certum aliquem locum præſcribere. Facile fidem liberas, ſi nihil pollicere. Non niſi ſemel principibus illuſiſſe,in papa, magna quoq; laus eſt. Certè ſi quem tandem locum deſignet,nõ dubium eſt, quin uel ad ciuitatem aliquam ſuam, (ſuæ putantur, uerius q̃ ſunt,quas & maiores ſui peruim & dolos ſibi compararunt, & iſte cõtra ius & æquum malefidei poſſeſſor, deturbatis iis, ad quos iure hereditario uenire debẽt, oc-

cupat) uel ad cuiuſpiã alterius principis imperio ſubiectã nos uocet. Ad illam nemo unq̃, cui aliquid mentis eſt, ſi ab iſto diſſentit, ſeſe contulerit. Et ſi eo nos inuitet, ubi nec is eſſe poteſt, niſi exercitum alat, an non plusq̃ ſtulti ſunt, qui ſemel illuſi, bis ſe decipi patiantur? An nõ ueriſimile eſt, nos deceptũ iri, ſi illi credimus, qui promittit, quod præſtare non poteſt, ſi uelit, nec uult, ſi poſſet? Sed in re, quæ nihil ad nos pertinere uideri poteſt, nimium diu moramur. Nam locum reperiat, quẽ uelit, tutum, quo omnes tuto, ſine ullo uel periculi metu accedant, nos, iſto uocante, ad nullum unquàm Concilium ueniemus. Imo & Paulo & ſuis

ſuis, hoc quod ſæpe diximus, aperte dictũ uolumus, nullum ius illis in Anglos eſſe, nos nullũ illis cedere, & id quicquid eſt, quod a nobis olim per uim & ſcelus, extortum eſt, iure & optimo iure repetere. Olim deluſi, dedimus uobis primatum, ſi à noſtro cõſenſu, ueſtra in nos authoritas initium habeat, per noſtrum quoq; conſenſum, finem habeat. Cur enim qui ſine cauſa, dedimus, ſacrarum literarum teſtimoniis, admoniti, ſuſtuliſſe non poſſumus? Olim ſcripſimus, nos pontificibus minores eſſe, minores quàmdiu nobis uiſi ſumus, illis libenter paruimus. Longe alia nũc ſcribimus. Et proinde, ſi poſthac eorum decretis nõ

ob-

obtemperemus, nō eſt quod ualde mirentur. Leges cum ciuiles, tum dei pro nobis pugnant. Non enim amittit libertatem ingenuus, imo ne libertatis quidem cauſam lędit, qui ſe ſeruum ſcribit. Si cōſuetudine nos oppugnant, Cypriano reſpondeant uolumus, qui cū ueritas abeſt, putat cōſuetudinem nihil aliud, quàm erroris uetuſtatem eſſe. Quid quod Chriſtus perpetuo dixit, Ego ſum uia, ueritas, & uita. Nunquàm dixit, Ego ſum conſuetudo. Et proinde cum hac parte pro uobis conſuetudo, ex illa pro nobis ſacræ literę pugnent, audetis in harenam deſcendere? Chriſtus quoties uos admonet (ſi tamē eius diſcipuli eſtis, qui

præceptore ueſtro multo doctio-
res, illius leges uiolatis, ueſtras tra-
ditiones extollitis) ut nullo quæſi-
to primatu, uoſmet cęteris nō an-
teponatis, ſed non commorabi-
mur in re aperta. Tantū optamus,
ut Cæſaris, & Chriſtianorū prin-
cipum authoritate, Concilium ge-
nerale, idq; liberum, ſit, uti uerita-
ti, & religioni conſulatur, quę ha-
ctenus non alia re magis oppreſſæ
ſunt, q̄ iſtis Romanorum pontifi-
cum Conciliis, uel ut uerius dica-
mus, cōciliabulis. Iam pridem in
immenſum creſcunt errores, abu-
ſus, impietates. Erudimini tādem,
qui iudicatis terram, & tot malis,
tantis ęgrotantis eccleſiæ morbis,
aliquid ſaltem remedii excogita-
te. De

re. De generali Concilio, qui prudentiores sunt, uident plane desperandum esse. Nos optimum arbitramur, ut interea, dum magis concilium optamus, quàm speramus, sui quisque regni errores sua authoritate tollendos curet. Consilii nostri omnes participes esse uoluimus, si recta monuisse uidebimur, non credimus hortatore opus esse, qui ad hæc eos inuitet. Bona spes nos habet, quemq; regem, regum maiestati iã penè restitutę ad futurum. Non alent post hac lupi catulos. Non si nos audient, callidis paparum commentis, audatiæ, impietati subscribent.

Cœptis fauete, principes, uester honos, dignitas, maiestas, restituta

est.

est. Memineritis hoc unū, ad uestrum officium uel maxime pertinere, ut ueritati, religioniq; christianæ operam uestram nauetis. Cauete, ne plus hostium doli, q̄ uestra uirtus possit. Nobiscum una bellum gerite cum pontificum uitiis æternum. Ita eorum decretis, aures uestras accommodate, ut si quid uel in hoc Mantuanensi, uel quouis alio concilio decernāt, quod religionem adiuuet, ueritatem illustret, id libenter amplexemini. Non quidem quod a pontifice, suisq; cardinalibus decretum est, sed quòd hic honos religioni, ueritatiq; perpetuo deferēdus est. Vera enim & honesta, etiam ab ethnicis libenter discimus. Atqui

quem

quemadmodum libēter ea admiserimus si qua sunt, quæ christianæ pietatis negotium promouere uideantur, ita si quicquam statuant in ueritatis præiuditium, uel quod ad eorum primatū, potestatemue papariam confirmādam faciat, uel quod regum ius, authoritatem, maiestatem, minuere, lædere, uiolare, uideatur, Hac nostra testatione orbi denunciamus, nos eorum nihil, neque probare, neque unq̄ probaturos.

HABETIS Christiani orbis incolę, quæ de concilio generali nos in præsentiarum scribenda putauimus. Arbitramur uobis planum esse, episcopum Romanum, sibiq; addictos cardinales, Episcoposq;.

non

non hoc animo concilium uelle, ut ueritas regnet, ſed ut hæc, una cũ Chriſto conculcetur. Intelligitis, non hoc tempus cõciliis celebrãdis idoneum eſſe, non Mantuam locum eſſe idoneum, multo minus, nullum locum idoneum eſſe. Videtis ubi ubi ſit, nos neque ipſos uenire debere, neque quenq; noſtra cauſa eò mandare. Videtis uix tenuem ſpem concilii generalis eſſe. Admonitos uos uidetis, quo pacto, quiſq; principum, domi ſuæ res religionis alioqui turbatas tranquillet. Si quis ueſtrum meliora adferat, pollicemur nos ea libenter facturos, quæ maxime a religione ſtent, neq; nos, noſtro concilio uſuros, ſi quis nobis rectius

ctius consulat. Quem animorum nostrorum affectum, Deus opt. max. qui dedit, pro sua bonitate, non tam in nobis augere, quàm in omnes, uel cum ipsum, uel meliorem effundere dignetur. Cui honos omnis, omnis gloria, in omnia sęcula sęculorum. Amen.

22.9.19

LONDINI IN AEDIBVS
THOMAE BERTHE-
LETI REGII IM-
PRES-
SORIS. EXCVS.

ANNO. M. D. XXXVIII.

CVM PRIVILEGIO.